

homo tunc solum, ut *lalis*, agit, quando in agendo utitur facultatibus sibi essentialibus, scilicet cognoscendi, volendi, et libere se determinandi; ergo non datur actus *proprie* humanus, quin a deliberata seu libera hominis voluntate procedat. Unde actus humanus demum idem est, ac actus moralis. — S. Thom. 1. 2. qu. 1. art. 1.

Hinc differt ab actu hominis (2), qui fit in homine, vel ab homine absque ulla deliberatione, ut sunt actus indeliberati, motus *primo-primi*, vel actus hominis penitus distracti, somniantis, delirantis, amentis, ebrii, aut usu rationis quomodocumque destituti (3).

2. — *DIVISIO*. Actus humanus multipliciter distinguitur.

1<sup>o</sup> *Elicitus*, vel *imperatus*. *Elicitus* dicitur qui consummatur in ipsa voluntate, ut actus amoris, odii, desiderii. *Imperatus* vero, qui imperante voluntate perficitur ab alia potentia vel interna, ut actus cogitandi, vel externa, ut actus ambulandi, scribendi.

2<sup>o</sup> *Internus*, vel *externus*. Actus *internus* ille est, qui tantum internis animae potentiis perficitur, qualis est actus cogitandi, amandi. Actus vero *externus*, seu *mixtus*, ille est, quem voluntas per corporis organa perficit. Actus internus specialius *actus* dicitur, et actus externus potius *actio* nuncupatur (4).

3<sup>o</sup> *Bonus*, *malus*, *indifferens*. Actus *bonus* dicitur ille, qui conformis est rectae rationi; *malus*, qui non est illi consentaneus; *indifferens*, qui rationis normae neque conformis est, neque repugnat. — Actus bonus aut indifferens dicitur etiam *licitus* (5); actus vero malus, *illicitus*.

(2) Neotericus quidam, abiecta consueta veterum distinctione in *actus hominis*, et *actus humanos*, novam invexit actuum *naturalium* seu *animalium*, et actuum *personalium*; quippe, ut inquit, facultates intellectus et voluntatis, utpote summum activum principium, *personalitatem* constituunt. Atqui prona hinc via ad graves errores patet; si enim in *summo* seu *supremo activo principio* personalitas constituatur, iam Deus pro unica natura, seu *activo principio* unicam personam, duplicem vero Christus, pro duplici natura habebit.

(3) Placuit nonnullis multiplices in homine actus distinguere secundum quod S. Gregorius M. (Hom. 29. *in Evang.*) hominem dixit aliquid de omni creatura habere, ut proinde 1<sup>o</sup> alii actus dicantur

*naturales*, uti vivere, vegetare, crescere, etc., alii 2<sup>o</sup> *animales*, etiam brutis communes, uti comedere, ambulare, etc., alii 3<sup>o</sup> *hominis*, uti loqui, ridere, intelligere, etc., alii 4<sup>o</sup> denique *humani*, qui a deliberata voluntate procedunt; in quibus intellectus se habet ut conditio, libera autem voluntas ut causa.

(4) Consideratio actus *interni* vel *externi* eo maxime nunc spectat, utrum actus internus, v. gr. voluntatis consensus, exterius ullo modo prodeat seu manifestetur; ut nempe exinde colligatur, num legi, aut censurae, aut reservationi, etc. subiiciatur.

(5) Qui actus in individuo indifferentes non admittunt, eo ipso quemvis actum licitum etiam ut moraliter bonum habent. Vid. infr. dicenda Cap. III. Art. 1.

4<sup>o</sup> *Naturalis*, vel *supernaturalis*. *Prior* ille est, qui solis naturae viribus producitur; *posterior* vero, qui auxilio divinae gratiae perficitur (6).

5<sup>o</sup> *Validus*, vel *invalidus*. Actus *validus* ille est, qui gaudet omnibus requisitis ad effectum proprium producendum essentialibus. *Invalidus* autem ille est, qui vel uno quopiam ex essentialibus caret. Sic est *validus contractus*, in quo requisita sive lege naturali, sive lege positiva ad eius valorem reperiuntur. Secus *invalidus* est habendus.

## CAPUT II.

### DE PRINCIPIIS ACTUUM HUMANORUM.

3. — Tria actuum humanorum principia numerantur: 1<sup>o</sup> *cognitio*, 2<sup>o</sup> *voluntas*, 3<sup>o</sup> *libertas*. Haec enim sunt eorundem constitutiva atque adeo ad quemlibet actum *proprie* humanum requisita, ut ex definitione actus humani patet.

Voluntas cognitionem praeviam necessario supponit; nihil enim potest esse obiectum voluntatis, quin prius ope intellectus apprehensum fuerit. Hinc axioma: *Nihil volitum, quin praecognitum*. Utrumque autem supponit libertas. Libertas enim est facultas eligendi, seu ad actum aliquem sese determinandi; electio autem fieri nequit, nisi voluntate seipsam in praecognitam hanc vel alteram partem movente.

### ARTICULUS I. — DE VOLUNTARIO.

#### §. I. *De voluntario in genere.*

4. — *DEFINITIO*. Voluntarium, seu actus voluntarius dicitur, qui procedit a voluntate cum intellectuali finis cognitione. Ratio huius definitionis patet ex modo dictis, seu ex necessitate praeviae cognitionis, ut voluntas ad actum se determinare possit.

Hinc differt 1<sup>o</sup> a *volito* (1), quod potest esse obiectum voluntatis etiam

(6) Supernaturalis actus *meritorius* dicitur vel *de condigno*, vel *de congruo*, prout ipsi retributio aliqua vel ex iustitia, vel ex mera decentia ac benignitate Dei rependitur.

(1) *Volitum* nimirum non dicitur de actu voluntatis, sed de obiecto, in quod voluntas tendit: et hoc contingere potest,

licet obiectum a voluntate, tamquam effectus a sua causa, non pendeat. Dixi, *contingere potest*; nam quod dicimus *volitum*, potest etiam a voluntate procedere et pendere, ita ut et volitum et voluntarium id sit. Ita v. gr. dum moves pedem aut manum, hic motus et *volitus* et voluntarius tibi dicitur. Quocirca vix



inefficacis, atque adeo quin sit eiusdem voluntatis effectus; sic pluvia in aridam terram effusa quoad agricolam dicitur *volita*, non autem voluntaria; 2<sup>o</sup> a *spontaneo*, quod fit cum cognitione mere sensitiva et materiali, adeoque imperfecta, et communiter etiam brutis tribuitur.

5. — Divisio. Multiplex est voluntarium, scilicet.

1<sup>o</sup> *Perfectum*, vel *imperfectum*. Prius illud est quod fit cum plena cognitione, et pleno voluntatis consensu. *Posterius* vero quod ex subobscura cognitione, aut imperfecto consensu (2) procedit.

2<sup>o</sup> *Voluntarium simpliciter*, vel *secundum quid*. Prius est, quod fit ex plena voluntatis deliberatione et inclinatione. *Posterius* vero, quod fit cum voluntatis consensu, sed cum aliqua repugnantia, seu quapiam inclinatione voluntatis in oppositum (3).

3<sup>o</sup> *Directum*, vel *indirectum* (4). Prius est illud, quod in se ipso, seu *per se* intenditur, id est quod immediatum est obiectum voluntatis (5), ut furtum a fure patratum, vel occisio a malevolo homicida intenta. *Posterius* illud dicitur, quod non est volitum *in se*, sed *in alio* directe volito, sive ut effectus in causa, sive ut aliquid ipsi connexum, v. gr. ebrietas in potatione excessiva, vel homicidium ex temeraria lapidis proiectione.

4<sup>o</sup> *Positivum*, vel *negativum*. Prius dicitur, quod est a voluntate reipsa agente, seu quod actionem positivam requirit, puta, lectionem. *Posterius* illud est, quod procedit ex omissione actus a voluntate dependentis. Talis est ommissio Missae in eo, qui ad instantem eius celebrationem advertens, nihilominus studio domi vacare pergit (6).

apparet, cur editor recentissimae gallicae editionis (Anicii 1873) ad rationem voliti exigat, ut a voluntate non procedat aut pendeat, cum nihil magis contrarium sit frequentissimo Theologorum usui.

(2) Intellige, ubi non plena adsit deliberatio; qua in re multiplex haberi gradus potest.

(3) Communius Doctores partitionem hanc adhibent cum iis dumtaxat actibus, in quibus aliquid est *voluntarii* simul et *involuntarii*: quando scilicet voluntatis affectio ad duo tendit, quae simul habere non potest, ac proinde circa unum assurgit efficaciter et illud amplectitur, erga alterum ineffaciter, atque adeo hoc relinquit: circa unum habetur voluntas, circa aliud velleitas; in unum voluntas fertur absolute, in alterum vero conditionate,

nempe si prius amittendum non sit: atque inde appellatio *voluntatis absolutae* seu *simplicis*, et voluntatis *secundum quid*, nimirum secundum aliquem respectum seu complacentiam inefficacem.

(4) Alii cum S. Thoma (1. 2. q. 6. art. 3.) nomine voluntarii *directi* et *indirecti* id intelligunt, quod Auctor dictionibus voluntarii *positivi* et *negativi* mox designat. Quae vero haec traduntur, alia partitione exprimunt *voluntarii in se*, et *voluntarii in causa*.

(5) Immediatum obiectum voluntatis esse potest etiam effectus valde remotus, dummodo hic quoque *in se* intendatur. Voluntarium vero *in causa* dices, quod in se non intenditur quidem, attamen seculorum praevideatur.

(6) Brevius et clarius dices, *positivum*

5<sup>o</sup> *Expressum*, vel *tacitum*. Dicitur *expressum*, si verbis aut signis manifestetur; *tacitum* vero, si adesse ex facto aliquo aut etiam omissione cognoscatur. Sic peccata subditorum sunt Superiori voluntaria et imputabilia, si iis se non opponat, cum alioquin id possit, ac debeat (7). Hinc regula 43. iuris: *Qui tacet consentire videtur* (8).

6<sup>o</sup> *Actuale*, *virtuale*, *habituale* et *interpretativum*. Dicitur *actuale*, si a voluntate actualiter influente procedat, ut v. gr. contritio in eo, qui hic et nunc poenitentiae actum elicit. *Virtuale* est, si vi actus prius positi, et in agentem moraliter influere pergente, proveniat ut absolutio a confessario distracto impertita. *Habituale* vocatur, si olim fuit quidem habitum, nec retractatum, sed nunc neque directe neque reflexe in voluntatem aut in actum influat. *Interpretativum* nuncupatur, si neque physice neque moraliter est habitum, sed prudenter praesumi potest, et haberetur, si de eo cogitaretur, aut cogitari posset. Sic infirmus sensibus destitutus, si christiane vixerit, censetur extremam unctionem velle suscipere (9).

6. *Resolves*. — 1<sup>o</sup> In eodem actu haberi potest voluntarium directum seu *in se*, voluntarium indirectum seu *in causa*, et involuntarium (10). Exemplum: *Titius* quaerens *Caium* inimicum ad mortem, eum aggreditur, cum periculo laedendi etiam eius socium, quem cernit illi associatum; sed glante, praeter utrumque, ferit quoque *Sempronium*,

appellari, quando actum voluntas elicit; *negativum*, cum voluntas nullum elicit actum, sed manet suspensa. Quae distinctio usurpatur, quando quaeritur an dari ommissio possit sine ullo actu voluntatis. Vid. Suar. in 1. 2. Tract. V. Disp. 3. Sect. 2. Et cf. haec notam 12.

(7) In isto exemplo habes 1<sup>o</sup> voluntarium *tacitum*, uti patet, 2<sup>o</sup> voluntarium *in causa* (A. appellat *indirectum*), quatenus peccata censentur effectus omissae a Superiore correctionis, et 3<sup>o</sup> voluntarium *negativum* (alii cum S. Thoma dicunt *indirectum*), quatenus effectus provenit ex omissione.

(8) Ad rite intelligendum axioma: *Qui tacet consentire videtur*, facere possunt istae regulae. I. Consentire quis censetur in favorabilibus. II. Item tacens, ubi alioquin intercedit obligatio aliqua aut necessitas contradicendi, et expedita ad id fa-

cultas; quo spectat et illud effatum: *Scientia et patientia in iis, quae sunt modici praeiudicii, consensum operatur*. III. Tacens, si quid iniuste aut minus recte decernitur, ubi communi consilio ac suffragio deliberatur. IV. Item qui plura rogatus, de quopiam silet, dum reliqua recusat. V. Adde casus ex iuris dispositione, v. gr. filii tacentis in sponsalibus pro ipso a parente contractis.

(9) Differt voluntarium *interpretativum* a *tacito*, quod in illo nullus, in hoc verus adsit consensus. Utrumque autem dici solet voluntarium praesumptum, quia praesumitur suo modo adesse.

(10) Patet ex contextu, *involuntarium* hic non dici, quod sit contra voluntatem. Alii potius quam involuntarium, *non voluntarium* id dicunt. Secus non *praeter*, sed *contra* voluntatem dicendum id foret.



quem neque videbat, neque inibi adesse suspicari poterat. *Caius* percutitur ex voluntario directo *Titii*, socius ex voluntario in causa, et *Sempronius* praeter omne voluntarium.

2° Ubi nulla est advertentia ad praeceptum, nullum relate ad illud est voluntarium, et proinde nulla praecepti voluntaria transgressio, atque adeo nullum peccatum. — S. Lig. n. 8.

3° Ubi semiplena est mentis advertentia, actum habes dumtaxat semivoluntarium, qui in gravis quoque praecepti violatione non excedit peccatum veniale; sic evenit in semisopitis, aut ad alia distractis. Idem de imperfecto voluntatis consensu teneto. — S. Lig. ibid.

4° Aliquis actus potest esse voluntarius sub uno respectu, non vero sub alio, prout aliter vel aliter cognoscitur: sic qui occidit aliquem, ignorans illum esse Sacerdotem, homicidium committit, non vero sacrilegium. — S. Lig. ibid.

5° Qui violat grave praeceptum, inductus timore humano, aut minis sociorum, ponit actum *simpliciter voluntarium*, et quidem graviter peccaminosum in materia gravi (11), quia agit cum plena voluntatis determinatione, etsi aegre agat, et libentius hoc non egisset; attamen eiusmodi actus est etiam involuntarius *secundum quid*, et proinde minus culpabilis evadit. — S. Lig. n. 21.

6° Non solum voluntarium actuale, sed etiam mere virtuale in actus moralitatem aut validitatem satis ita influit, ut sit bonus vel malus, validus aut invalidus; secus vero dicendum de habituali et interpretativo, ut ex eorum definitione, manifestum fit.

7° Omissio potest esse voluntaria (12), sicut actus positivus voluntatis; non tamen, secluso praecepto, potest esse ad culpam imputabilis. Sic omittens Missam die feriali non peccat. — S. Lig. n. 11.

(11) Praeproperè hoc loco ponitur ista resolutio, quae notum id supponit, quod disserendum infra erit de metu. Itaque ut vera sit resolutio, supponi debet, metum 1° nec valde rationis usum turbasse, 2° nec a servando praecepto excusare. Nam, prout intra dicitur, timor gravis mali non modo excusat a praecepto ecclesiastico, v. gr. audiendi Missam, sed etiam a divino positivo, v. gr. integre confitendi, imo et a divino naturali, v. gr. servandi secretum.

(12) Imo nec ipsa omissio, si vere vo-

luntaria, idest libera sit, iuxta veriore[m] doctrinam intelligi potest sine aliquo actu voluntatis. Necesse est enim, ut ad eam voluntas se determinet, illamque prae opposita eligat. Porro eiusmodi determinatio seu electio dicit positivum actum voluntatis. Aequivocationem autem, cui innititur sententia opposita, quae scilicet liberam omissionem contingere admittit sine ullo voluntatis actu, facile ex S. Thoma (1. 2. q. 71. art. 5.) deprehendes.

## §. II. De voluntario in specie.

Cum in caeteris voluntarii speciebus nulla specialis difficultas occurrat, solum dicemus

### De voluntario indirecto, seu in causa.

7. **Praenotanda.** — Voluntarium indirectum seu in causa, ut dictum est, non intenditur *in se*, sed ex alio directe voluto, velut effectus ex causa, cernitur secuturum. Nihilominus est verum voluntatis obiectum, licet indirectum; qui enim vult causam, vult quoque effectum ex ea sequentem, si effectum hunc praevideat. Hinc effatum: *Qui est causa causae, est causa causati*. Sic quando quis peccat coram aliis, scandalum ex eius peccato proveniens ratione voluntarii indirecti ipsi imputatur.

Causa autem multiplex distinguitur, scilicet

1° *Physica*, vel *moralis*. *Prior* est, quae physice agendo effectum producit, ut ignis incendium, sol lucem. *Posterior*, quae aliam causam liberam ad agendum efficaciter movet. Sic homicidium iubens causa moralis est occisionis.

2° *Immediata*, vel *mediata*. *Prior* ea est, quae effectum producit, nulla alia intercedente causa, v. gr. si quis transfodiat pectus alterius, erit causa immediata eius mortis. *Posterior*, quae effectum non producit, nisi alia causa interposita. Hinc causa moralis est semper causa mediata.

3° *Proxima*, vel *remota*. Dicitur *proxima*, quae habet connexionem necessariam vel ordinariam cum effectum. *Remota* vero, quae licet effectum producere valeat, vim tamen magnam non habet, et in illum non influit notabiliter; vel ea est, ex qua effectus ut plurimum non provenit.

4° *Causa per se*, vel *per accidens*. *Prior* est, quae ex natura sua tendit et ordinatur ad effectum producendum. Sic potus excessivus est causa *per se* ebrietatis. *Posterior* vero, quae licet non sit ex natura sua ordinata ad quempiam effectum, attamen aliquando, intercedente aliqua circumstantia, illum producere valet. Sic homicidium ex ebrietate sequi potest. Plerumque haec ultima divisio in praecedentem recidit.

8. **Principia.** — I. *Principium*. Triplex conditio requiritur ut effectus agenti, seu ponenti causam imputari queat, scilicet

1° Ut agens effectum, *saltem in confuso*, praeviderit. Ratio est, quia effectus nullo modo praevissus, nullatenus potest esse voluntarius: *nihil enim volitum, quin fuerit praecognitum*. Hinc ebrietas voluntaria non est, nec ei imputanda, qui inebriatur ex modico vino, cuius vim ignorabat. Non ergo, ut quidam contenderunt, sufficit ad culpam, ut malus effectus *potuerit*, aut *debuerit praevideri*; nam negandum est suppositum, scilicet, posse praevideri effectum, si de facto non praevideatur *saltem in confuso*: prima enim idea alicuius rei non est in hominis potestate.



2° Ut agens potuerit causam non ponere, vel positam auferre; secus enim, deficiente libertate, necessario deficit voluntarium. Aliunde obligatio dari nequit, quando haec impleri non potest. Hinc axioma: *Nemo ad impossibile tenetur*. Hinc etiam Aug. *de lib. arb.* lib. III. cap. 18.: *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?*

3° Ut agens, ne talis effectus sequatur, teneatur causam non ponere, aut positam tollere. Si enim non detur obligatio vitandi causam, effectus ex illa sequens imputari nequit; quia agens iure suo utitur, et se habet tantum permissive quoad effectum. Hinc motus inordinati non imputantur medico vel chirurgo in exercitio artis suae, quasi voluntarii; quia isti artem suam ad hunc effectum praecavendum omittunt non tenentur, sed e contrario iustam habent rationem eam exercendi, ut ex principio sequenti magis declarabitur. — S. Thom. 1. 2. qu. 20. art. 5.

9. — II. *Principium*. Licet ponere causam bonam aut indifferentem, ex qua immediate sequitur duplex effectus, unus bonus, alter vero malus, si adsit causa proportionate gravis, et finis agentis sit honestus, pravam scilicet effectum non intendat. — S. Thom. 2. 2. qu. 64. art. 7.

Ratio huius principii est, quia, si id non liceret, agens peccaret, vel ex intentione pravi effectus, vel ex positione causae, vel ex praevisione effectus mali. Porro nullum ex his dici potest.

Etenim 1° hoc illicitum non est ratione finis, quippe qui supponitur honestus; 2° neque ratione appositionis causae, siquidem supponitur bona, vel saltem indifferens, aut etiamsi mala sit, non tamen sit mala ob securum illum effectum; 3° neque ex praevisione pravi effectus, nam in hypothese hic non intenditur, sed mere permittitur; eum autem permittendi causa adest proportionate gravis ac iusta.

Quatuor autem conditiones, quae in hoc principio enuntiantur, omnino requiruntur, scilicet 1° ut honestus sit finis agentis; 2° ut causa sit bona, vel saltem indifferens; 3° ut effectus bonus sit immediatus, et 4° adsit ratio gravis ponendi causam, nec teneatur agens ex iustitia, aut ex officio, aut ex charitate eam omittere.

Itaque 1° requiritur finis bonus, idest agens malum effectum intendere non debet, quia secus malus effectus esset in se voluntarius. Ideo neque de pravo effectu ullo modo sibi complacere debet.

2° Requiritur causa bona, vel saltem indifferens, scilicet ut actus nulli legi opponatur (13). Ratio evidens est. Etenim, si causa in se mala foret, per se reatum induceret.

(13) Haec enunciatio patet latius, quam par sit. Et sane qui iniuste hominem occidit, causam, ob quam creditores damnum

patiantur, malam imo pessimam ponit, nec tamen ideo ad restitutionem, nisi damnum illud intenderit, ex communi DD.

3° Requiritur ut bonus effectus saltem aequae immediate ex causa sequatur. Ratio est, quia si causa directe et immediate pravam habet effectum, et non nisi mediante illo pravo effectum bonus effectus provenit, tunc bonum ex malo quaeritur: porro nunquam fas est malum, quantumvis leve, patrare ad bonum quodcumque procurandum; nam iuxta pervulgatum axioma ex Apostolo depromptum Rom. 3. 8.: *Numquam sunt facienda mala, ut eveniant bona*. Sic mentiri tibi non licet, etiam ad vitam hominis salvandam.

4° Requiritur ut adsit ratio proportionate gravis ponendi causam; quia aequitas naturalis nos obligat ad vitanda mala, et praecavenda proximi damna, quando id sine damno proportionate gravi possumus (14).

Porro in hisce casibus eo maior ratio requiritur ad agendum, quo propinquius causa malum effectum attingit, quo probabilior est malus effectus, et quo minus iuris ad actionem in se spectatam habetur.

10. *Resolves*. — 1° Effectus malus, qui sequitur *per accidens* ex causa voluntaria, non est ad culpam imputabilis, nisi adsit circumstantia accidentaliter unde praevideatur effectus necessario praecavendus: v. gr. vendere arma per se nullum est malum; licet malum sit ea vendere alicui furioso. Ratio prioris partis est, quia effectus malus, si forte sequatur, nisi sit intentus, non est proprie voluntarius, cum non contineatur in causa per necessariam connexionem, nec ad huiusmodi effectum causa ordinatur. Ergo causam ponens in effectum efficaciter non influit; atque adeo effectus non est imputabilis. — Reuter, n. 15. — Ratio alterius partis est, quia damnum, quod ex armis furioso traditis facile praevidere potes, avertere tum ex charitate tum ex iustitia teneris.

2° Voluntariae sunt blasphemiae, impudicitiae, rixae aut iniustitiae, quae in ebrietate fiunt, quando praevideri possunt; sufficienter autem praevidentur ex consuetudine talia in hoc statu peragendi, et proinde sunt in causa voluntariae, et ad peccatum imputabiles.

3° Non peccat belli dux, qui tempore obsidionis ad arcendum hostem incendat agros, etc., etsi per accidens patiantur incolae innocentes. Item si incendat turrim, in qua simul cum hostibus forte peregrini bello extranei includuntur; quia causa damni huius est in se honesta; damnum autem innocentium mere *per accidens* sequitur, nec intenditur, sed tantum permittitur.

4° Non peccat Sacerdos, qui porrigit Communionem peccatori oc-

sententia tenetur. Reatus itaque spectandus hic est, non qui causae in se insit propter oppositionem ad legem quamlibet, sed qui ex obligatione effectum illum praecavendi exurgat.

(14) Hic tamen non unice perdendum est damnum seu incommodum tunc agentis, sed etiam ac multo magis commune omnium incommodum, si generatim id exigeretur.



culto publice petenti; quia quamvis sacrilegium sit malum ingens, tamen damnum publicum ex tali Eucharistiae denegatione secuturum magis vitandum est.

5<sup>o</sup> Non peccat qui pecunia egens, nec aliunde habere valens, mutuum petit ab usurario lucrum iniustum exacturo; quia petitio pecuniae per se non est causa malae voluntatis exigendi iniustas usuras, sed soli usurario animus suus pravus est imputandus.

6<sup>o</sup> Peccat graviter puella, quae ex delicto gravida abortum procurat ad vitandam infamiam; ratio, quia non adest sufficiens causa eiusmodi damnum proli inferendi (15).

7<sup>o</sup> Advocatus non tenetur omittere iustam defensionem, ex qua secutura est mors iniusti invasoris. Ratio est, quia damnatio, quam subire debet malefactor, non sequitur ex iusta invasi defensione, sed ex invadentis malitia, quae ipsi voluntaria ac libera fuit (16).

8<sup>o</sup> Si causa remote et leviter influat in effectum malum, et ex ea etiam sequatur aliquis bonus effectus, quamvis non praeponderet, aut non aequivaleat malo, non est obligatio auferendi causam; quia minor ratio requiritur ad ponendam causam leviter tantum et remote influentem in malum, quam si graviter et proxime influeret. Hinc non teneris abstinere a colloquio honesto et utili propter carnales motus inde exurgentes. Ita Billuart, diss. 1. art. 1.

9<sup>o</sup> Si vero causa remote et leviter influens sit in se venialiter mala, aut ex ea nullus sequatur bonus effectus, obligatio aderit eam auferendi, sed levis, et sub veniali tantum, nisi agatur de gravi proximi damno; ratio, quia ista obligatio aestimanda est iuxta quantitatem influxus causae. Cum enim effectus non sit voluntarius, nisi in causa, et leviter ac remote continueatur in causa, leviter est in ea voluntarius, adeoque leviter ad culpam imputabilis, et idcirco levis obligatio auferendi causam ob illum effectum. Billuart, ibid.

10<sup>o</sup> Omissio actuum, de quibus homo nullatenus cogitat, ne indirecte quidem est voluntaria: quia illi actus advertentiam agentis penitus effugiunt. Attamen talis omissio potest esse voluntaria et imputabilis in causa, si oblivio seu inadvertentia ex praecedenti negligentia proveniat.

11<sup>o</sup> Qui scienter ponit causam actionis vel omissionis, in eo instanti malitiam coram Deo contrahit, etsi actio vel omissio reipsa non sequatur; et proinde eam ut volitam confiteri tenetur. — V. *Casus*, t. 1. n. 7. et seq.

(15) Rationem melius petes ex dictis ad Princip. II. n. 3<sup>o</sup>, prouti videre licet etiam infra n. 403. in Resol. 1.

(16) Vix apparet, quorsum de hoc quae-

stio moveatur. Nam si licet accusare reum, immo licet et supplicium reorum ex recto sine optare, quidnam dubii oriri potest circa easum hic propositum?

Ex iisdem principiis circa voluntarium indirectum et in causa innumeratae aliae pendent resolutiones, praesertim ubi de scandalo, et de cooperatione tum ad alterius peccatum tum in damnum proximi.

#### ARTICULUS II. — DE LIBERO.

11. — DEFINITIO. Liberum dicitur, quod procedit a voluntate seipsam determinante cum potentia non agendi. Libertas vero est facultas agendi vel non agendi, seu facultas unum eligendi prae alio. Hinc omne liberum est voluntarium, sed non viceversa.

Licet liberum et voluntarium in se distinguantur, ut patet ex definitione utriusque, in actibus tamen, quibus homo viator ad finem suum tendit, reapse non distinguuntur; quoties enim actus aliquis est voluntarius, est etiam liber, et viceversa. Ratio est, quia homo viator sui compos in his, quae sunt ad finem, nunquam necessario agit (1).

DIVISIO. Multiplex distinguitur libertatis species.

1<sup>o</sup> Libertas a *necessitate*, seu libertas indifferentiae, vel electionis, quae est immunitas ab omni necessitate intrinseca antecedente; et haec est proprie et stricte dicta libertas.

2<sup>o</sup> Libertas a *coactione*, seu libertas *spontaneitatis*, quae est immunitas ab omni violentia extrinsecus illata.

3<sup>o</sup> Libertas *contradictionis*, quae est facultas se ferendi ad contradictoria, v. gr. studendi, aut non studendi.

4<sup>o</sup> Libertas *contrarietatis*, per quam eligere aliquis unum quid potest, aut huius contrarium, v. gr. diligere, vel odio habere.

5<sup>o</sup> Libertas *specificacionis*, quae est facultas se ferendi ad diversa, v. gr. ambulare, ludere, etc.

(1) Egregie more suo S. Thomas (2. Dist. 25. q. 1. art. 2.): *Si proponitur voluntati aliquod bonum, quod completam boni rationem habet, ut ultimus finis, propter quem omnia appetuntur, non potest voluntas hoc non velle: unde nullus non potest non velle esse felix, aut velle esse miser. In his autem, quae ad ultimum finem ordinantur, nihil invenitur adeo malum, quin aliquod bonum admixtum habeat; nec aliquod adeo bonum, quod in omnibus sufficiat: unde quantumcumque ostendatur bonum vel malum, semper potest adherere et facere in contrarium ratione alterius, quod in*

*ipso est, ex quo accipitur, si malum est simpliciter, ut apparens bonum, et si bonum est simpliciter, ut apparens malum; et inde est, quod in omnibus, quae sub electione cadunt, voluntas libera manet, in hoc solo determinationem habens, quod felicitatem naturaliter appetit, et non determinate in hoc vel illo. Quae quidem doctrina non minus rectae rationi quam fidei catholicae congrua manifeste ostendit, quo loco habenda sit recens quaedam philosophia, quae praetexto limitum libertatis humanae titulo innumeros actus inaniter invehit, ad quos homo viator, alioquin sui compos, necessario feratur.*